



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

XI. Pœnæ non recitantis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

contemptu Religionis. 7. Cura afferens impossibilitatem ex iustitia, v. g. docere, concionari, tota die confessiones audire; modò ordinaria excusatio non fit, sed vnius aut alterius diei, vti *Suarus* aduertit. 8. Charitatis actio, v. g. ægrotanti inferuire, notabili cura, aut labore adhibito; quia licet non teneamur huiusmodi muneri incumbere, sufficit illud vti maius bonum contemplari. 9. Dispensatio, Papa simpliciter potest cum Beneficiario, ac sacris ordinibus initiato dispensare. Valida erit dispensatio, licet causa non adsit; vt autem sit iusta, iusta causa requiritur. Non potest Episcopus nisi in casu occurrenti, tunc autem magis interpretatio legis, quam dispensatio compellenda. Prælati Regulares possunt similiter, cum de sufficientia ægritudinis dubitatur.

CAPVT XI.

Pœna non recitantis.

57. *Quinam pœna subiacet qui non recitat?* Clericus in sacris constitutus, ac Regularis professus peccato lethali illigatur. Beneficiarius insuper debet fructus restituere ex iure Ecclesiastico. Sex prioribus mensibus à Beneficij receptione haud obligatoria restitutio. Recitatio autem necessaria est à sacri Ordinis receptione, adeò, vt ab ipsa hora, qua recipitur, Officium obliget ab hora respondente, v. gr. Nona. Porro restitutionis, obligatio post sex priores menses ita statuitur, vt licet sex illis prioribus mensibus recitatis, nulla inde compensatio fiat. Quæ quidem obligatio in conscientia contrahitur absque iudicis sententia.

58. *Num omnes fructus sint restituendi, an ij solummodo, qui obligationi recitandi respondent?* Sfo *Valentiam*, *Suarium* & *Azorium* omnes docere restituendos. Attamen tantorum venia virorum, cum *Saa* & aliis pluribus existimo solum eam portionem, quæ veluti stipendium Officio diuino respondet, esse restituendam.

59. *An pro rata exacta quidem proportione?* Si iuris præscripto hærescas, solummodo vnius diei omisio pro rata exactè obnoxia est restitutioni. At practica probabiliter statuit *quæ* vnius, aut alterius defectum à restitutione excusari.

60. *Practicam huiusce doctrinæ exprimas præcor.* Ex redditibus Ecclesiæ quotidie, v. g. duodecim drachmas accipio diuini Officio respondentes, sex quidem Matutino ac Laudibus debeo,

638 *Moralis Theologia Tract. V. Virtutes,*
debeo, sex verò reliquis Horis. Si Matutinum & Laudes
omitto, sex drachmas debeo restituere; si solum Matutinum
quinque, si Laudes solummodo vnam, si quamlibet reliqua-
rum Horarum, alteram, si sex Horas, sex drachmas restituere
teneor. Legatur *Suarus c. 30. n. 11.*

Suar.

61. *Anmittens dimidiam Horam aliquid teneatur restituere, cum pars sit notabilis? Non; quia parum pro nihilo; nisi defectus hic aliis defectibus, (vt in furto) adhaeresceret.*

62. *Num qui recitat sine attentione necessaria, aut in peccato mortali existens, restituere teneatur, aut qui ex naturali obliuione omisit? Recitans sine attentione, aut lethali illigatus non tenetur; quia absolutè præceptum impleuit. Nec qui ex naturali obliuione omisit; quia poena illa culpam supponit.*

63. *Cuinam restitutio facienda? Aut fabricæ Templi, aut pauperibus, aut Missis pro defunctis verè pauperibus celebrandis. Porro ad pauperem extra Beneficij Ecclesiam restitutio hæc extenditur.*

64. *Clericus ipse restitutionem faciens pauperie laborat. Aut portio aut totum potest ei applicari ex sapientis consilio, ne propriæ causæ affectus illum afferat in errorem. An similiter restituere debeant, qui necessarium Deiparæ Officium obpensionem, omiserunt? Ita planè.*

CAPVT XII.

De vitiis Religioni contrariis.

§. I.
Superstio.

65. *V*aria Religioni opposita vitia expendenda assumuntur. Quid est Superstitio. Vana & falsa Religio indubitanter cultum exhibens Deo quoad modum: aut cui non debetur nempe creaturæ quoad substantiam. Porro illa, qua cultus indebitus tribuitur Deo, subdiuitur in cultum perniciosum, & superfluum; hæc autem qua cultus Deo debitus creaturæ tribuitur, in Idololatriam, Diuinationem, Vanam obseruantiam, Magiam, & Maleficium.

66. *Superstitio in cultu veri Dei exponitur. Superstitio huiusmodi vitiosa est, siue falsa sit, mendaciumque contineat, quæ perniciofa dicitur; siue id offerat Deo pro cultu, quod neque spectat ad gloriam Dei, nec hominis mentem, aut corpus subiicit Deo, quæ superflua vocatur. Porro perniciofa, in solo cultu*